



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCLXXXI. ad annum MCCCXIV.

Parisiis, 1644

Epistola I. Vrbani Papae IV. Ad Evam Reclvsam Sancti Martini Leodiensis.
De festo corporis Christi.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15974

EPISTOLA I.

V RBANI PAPÆ IV.
AD EVAM RECLVSAM SANCTI MARTINI
LEODIENSIS.

De festo corporis Christi.

Vrbanus episcopus dilectæ in Christo filiaæ Euæ reclusæ sancti Martini Leodiensis salutem & apostolicam benedictionem.

SCIMVS, o filia, quod magno desiderio desiderauit anima tua, vt solenne festum sacratissimi corporis Domini nostri Iesu Christi institueretur in ecclesia Dei a Christi fidelibus perpetuis temporibus celebrandum: & ideo tibi significamus ad gaudium, quod nos ad corroborationem catholicæ fidei digne duximus statuendum, vt de tam mirabili sacramento præter quotidianam commemorationem, quam de ipso facit ecclesia, speciælior & solennior memoria celebretur; ad hoc diem designantes certum, vt in eo turbæ fidelium propter hoc affectuose ad ecclesiæ concurrant, sitque dies ille vniuersis Christicolis noua festiuitate iucundus, & ampla iucunditate festius, prout in literis apostolicis, quas per vniuersum orbem dirigimus, plenius continetur. Et scias quod nos huiusmodi festum cum omnibus archiepiscopis, episcopis, ceterisque ecclesiæ prælatis tunc apud sedem apostolicam commorantibus (ad hoc vt videntibus & audientibus de tanti festi celebritate salubre præberetur exemplum) duximus celebrandum. Magnificet igitur anima tua Dominum, & exultet spiritus tuus in Deo salutari tuo. Quia viderunt iam oculi tui salutare tuum, quod parauimus ante faciem omnium populorum. Lætare insuper, quia omnipotens Deus tribuit tibi desiderium cordis tui, & voluntate labiorum tuorum non fraudauit te cælestis gratiæ plenitudo.

Et quia quaternum, in quo ipsius festi habetur officium, tibi sub bulla nostra per latorem præsentium destinamus, volumus, & per apostolica scripta tibi mandamus, qua-

Concil. Tom. 28.

P pp ij

tenus quaternum ipsum cum deuotione recipias , & eius copiam personis illam potentibus exhibeas liberaliter & libenter, & instes deuotis precibus apud illum qui memoriale tam salutiferum de seipso reliquit in terris , vt nobis ex alto tribuat gratiam commissam nostro regimini ecclesiam suam regendi utiliter , ad laudem & gloriam sui nominis , & salubriter gubernandi.

Datum apud vrbe Veteranum sexto Idus Septembri, pontificatus nostri anno quarto.

E P I S T O L A II.
V R B A N I P A P Æ IV.
A D O M N E S P R Æ L A T O S.

De eodem.

Vrbanus episcopus seruus seruorum Dei venerabilibus fratribus, patriarchis, archiepiscopis, episcopis, & aliis ecclesiistarum prelatis, salutem & apostolicam benedictionem.

Enarratio
multorum
beneficiorū
recepitorum
a Deo in
hoc sacra-
mento pro
nobis insti-
tuto.

1. Cor. II.

T R A N S I T V R V S de hoc mundo ad Patrem Salvator noster Dominus Iesus Christus , cum tempus sūx paf- fionis instaret , sumpta cœna in memoriam mortis sua; in- stituit summum & magnificum sui corporis & sanguinis sacramentum , corpus in cibum , & sanguinem in pocu- lum tribuendo. Nam quotiens hunc panem manduca- mus , & calicem bibimus , mortem Domini annuntiamus. In institutione quidem huius sacramenti dixit ipse apo- stolis : *Hoc facite in meam commemorationem : vt præcipuum & insigne memoriale sui amoris eximii , quo nos dilexit , esset nobis hoc præcelsum & venerabile sacramentum ; memoriale , inquam , mirabile ac stupendum , delectabile , suave , tutissimum , ac super omnia preciosum , in quo in- nouata sunt signa , & mirabilia immutata ; in quo habetur omne delectamentum , & omnis saporis suauitas , ipsa- que dulcedo Domini degustatur ; in quo utique vitæ suf- fragium consequimur & salutis . Hoc est memoriale dul- cisimum , memoriale saluificum , in quo gratam redem- ptionis nostræ recensemus memoriam , in quo amalo re- trahimur , & in bono confortamur , & ad virtutem & gratiarum proficimus incrementa , in quo profecto pro-*